BENEDICTI THEOCRENI, EPISCOPI GRASSENSIS ... POEMATA, QUAE...

Benedetto Tagliacarne

Digitized by Google

SALMONIVS MACRINVS CANDIDO LECTORI.

Qui Theocrenææ præludia læta iuuentæ
Hócque nouum voluis candide lector opus:
Vnguibus è teneris fuluum metire leonem,
Et tibi ſint poſthac qualia danda puta.
Nam ſi adeò pulchros tulit ætas primula flores,
Serior ô quantis fructibus vber erit?
Et meus (vt fama eſt) etiamnum munera vates
Quæ ſint ſacrifico Præſule digna, parat.
Ergo hac luxurie herbarum ſpem concipe lætam
Dum maiore fluat proxima meſſe ſeges

Benedicti Theocre

NI EPISCOPI GRASSENSIS Lyrica, ad Federicum Fregoſium.

ERgo reuiſes mœnia Romulo
Fundata! Tybris qua pater extulit
Olim verendum nomen oris
Heſperiis paritérque eoïs,

Nec te tuorum cura morabitur?
Nec detinebit publicus hic dolor
Totius vrbis? quæ duorum
Conſilus animíſque fratrum

Famam duobus terminat axibus:
Ergo tenax dum propoſitum foues
(Diſcamus vt ſaltem dolere)
Nil ſpatii Federice linques!

A ii Vides vt

Vides, vt acri triſtitia ſtupet
Quiſquis iacentes Herculis à domo
Terras, ad extremos receſsus
Accolit, & monimenta Lunæ.

Quos inter alti vix ſtimulos premunt
Luctus poëtæ, cara tibi cohors,
His numen his præſens ſolebas
Præſidium, & decus aduocari.

Hi ſemper abs te comiter accipi,
Suetíque tecum Pieridum integros.
Adire fontes, atque opacum
Sæpe nemus penetrare Cyrrhæ.

Nullum dolori conſtituent modum,
Donec reuectus nubila nunc tuo
Hæc arua diſceſsu ſerenes,
Stella velut iuuenum Laconum.

Ode dicolos diſtrophos,
De morbo Octauii Fregoſii.

Phœbe artis

Phœbe artis medicæ parens,
Quem vis nulla fugit graminis efficax
Morbis corpora ſoluere,
Dilectam Pataron, nunc vbi Deliæ
Hybernas oleæ immemor,
(Quanquam non alibi gratius horridum
Annum fallere crederis)
Quin linquis? Genuam quin celer aduolas?
Longa, quæſo, quid in mora es?
Nunquam te potior cauſa vocauerit.
Quot ſint quot fuerint Ducum
Ille, ille optimus & maximus omnium
Morbo Octauius angitur,
Qui cœca articulôs cum ſubiit via,
Hic vero penitus ſuam
Iam victor rabiem incredibili modo
Exercet miſeris ciens
Infandos gemitus, nec patientia
Par tantis cruciatibus
In terris hodie cernitur vllius
Præterquam ducis inclyti.
Ille vnus medio, prò, ſtupor impetu
Monſtri tam rabidi eminet.
Audit pro ſolito cuncta, caue improbe

 Speres

Speres inde licentiam
Peccandi, eſt eadem quæ fuit antea
Rerum cura nec exprimit
Vocem vel minimam percita vis mali
Fracti pectoris indicem,
Aegrotare neges, tantus ineſt vigôr,
Tam præſens grauitas viro.
Hanc vocum podagram Græcia fertilis
Dixit, præcipuè pedes
Quòd torquet trepidos impediens gradus.
Sed nunc brachia nunc manus
Tormento ſimili non minus obſtupent.
Huc ergo Pater, huc ades
Succinctus chlamydem, nam tibi fulſerit
Nuſquam commodior locus
Quærendi proprio munere gratiam
A mortalibus anxiis,
Quorum iuncta ſalus cum Duce maximo
Decumbit ſimul & valet.
Tecum Phillirides atque Epidaurius
Adſint, hic ſoboles tua,
Ille antris celeber Theſſalicis, diu
Succorum arbitrio potens.
At compos feriam voti ego candidum
Taurum

Taurum mox tibi, ſed citus
Accurrit video, ne pereat ſibi
Pulchra occaſio Cynthius.
Iam cernes ualidum fide cliens Ducem.

De Eliſsa Feltria,
Ode dicolos tetraſtrophos.

Omnis aſsurgat venienti Eliſsæ
Ora, quæ longo ſinuoſa tractu
Imminet ponto, Ligurúmque celſas
Suſtinet arces.
Exigant ſoles hyemem sereni,
Geſtiat ſacro pede tacta tellus,
Floribus paſsim uarientur illi
Strata viarum:
Nulla quantumuis celebrata priſcis
Vatibus præfert ſimiles honores,
Siue penſentur bona non caduca,
Siue uenuſtas.
Nam ſuas artes ſtudioſa Eliſsæ
Tradidit Pallas locuplete dextra,
Largáque afflarunt Charites Venúſque
Munera formæ.

Abſuit

Abſuit Muſis neque cura ſolers
Propriis donis cumulare alumnam,
Hinc caput nulli mulier ſecunda
Inſerit aſtris.
AEquior forſan fuerit quibuſdam
Sors, ſed aduerſas animus probatur
Qui ſupra res eſt ſtabilis, tenàxque,
Qualis Eliſsæ.
Orta quæ Mantûs genere ex vetuſto
Non minor Mantò generis parente,
Feltrium flammis iuuenem pudicis
Vnicè amauit.
Quandiu terræ placuere caro
Coniugi, felix fuit illa, quanquam
Extera amiſsis aliquando ſceptris
Tecta ſubiuit.
At viro dulci comes ibat uſque
Ponticæ exemplum fidei ſecuta,
Nulla terrebat facies laborum
Exiliúmue.
Ictibus maior Nemeſis ſuperbæ
Quippe ſurgebat, modo vir ſuperſtes,
Qui ſimul diuûm numerum Tonantis
Nutibus auxit,
Orba dilecto

Orba dilecto quoties marito
Rumpere optauit miſeranda lucem,
Fors & immenſi monumenta amoris
Morte dediſset,
Obſtitit crudo pietas dolori,
Ne Dei leges violaret almi
Vna, quas acri ſtudio tuetur
Nocte diéque.
Turbine ex illo iocus & voluptas
Sunt procul, ſolis alitur querelis,
Poſt grauem cladem thalami, quis vllo
Vidit Eliſsam
Gaudio efferri? memor omne tempus
Vnius viuit capitis, nec vltra
Sæua fortunæ metuit nouercæ
Tela mináſue.
Nil enim lætum ſibi conuenire
Triſte poſt funus putat, inde conſtans
Tangitur nullis hodie procellis
Diua virago.
Sed prius fuluas numeres arenas
Acta teſtudo nimio calore,
Quàm ſacro dotes uenerandæ Eliſsæ
Pectore clauſas.

Nodis Paula adamantinis
Conſtrictum iuuenem quæ male maceras,
Formæ munere quæ facis
Vt promiſsa mihi ſoluere negligat,
Noſtri haud immemor antea
Nec parcus fidei cultor, & omnium
Virtutum vnicus arbiter.
Tun' ſuſpiria, tun' ferre potes diu
Queſtus, quos iubare aureo,
Quos ſero repetit veſpere Lazarus?
Curis ſaucius improbis
Alterno lachrymans nil pede te mouet?
Nil teſtudine Lesbia
Qua curſim rapidi ſiſtere fluminis,
Qua poſsit mare concitum
Mulcere Iſmario non minor Orpheo?
Ergo ferrea ter quater
Raræ ſæuitiæ nil metuis notam,
Quam nulla elueret dies?
Nam vatem his oneras impia quòd malis
Vatem non minimam deûm
Curam, quòd precibus neſcia cedere

Sic illum ſubigis mori,
Eheu quàm graue te ſupplicium manet
Quod nullo effugere eſt dolo.
Fies inuidia clara nepotibus
Qui olim carmine Lazari
Pulchram ſed lachrymis indomitam legent,
Sed caute Ionia magis
Surdam, & purpureis fluctibus Adriæ.
Te vir, fœmina te, probris
Inceſset, geminis dum rapidum polis
Cælum vtrinque tenebitur,
Dum certis ſpatiis tempora diuidet
Latonæ rutilus puer,
Dum carpent iuuenum corda Cupidines.
Tantum Pieriæ valent
Artes, tantus honos conſequitur lyram.

AD OCTAVIVM FREGOSIVM Ducem Genuæ.

Princeps per alti carminis orbitam
Geſtis poëtas fortibus excitans,
Princeps honores cui deorum
Sic merito ſtatuent minores.

Sentíſne quanto flumine Furnius
Aequare laudum materiã vberem
Pergat tuarum? quantus adſit
Phœbus ei fidibus canenti?

Ducit noueno quippe graues modos
De fonte vatũ, barbite quos polo
Graïa intuliſti, túque patris
Grata Chelys dapibus ſupremi.

Quid plectra ponens Lesbia Furnius
Si moliatur hæc eadem pede
Quem protulit cortina primum
Delphica, quo miſeris Achilli

Iram Pelaſgis exitiabilem
Luſtríſque Vlyſsi denique quattuor
Hauſtos labores à tenebris
Meonides pater euocauit.

Aeternitati nónne tuum ſacret
Nomen, coronáſq; ordine ciuicas?
Manſura cum ſeclis perenne
Nónne tibi meditetur orſa?
Veſtrum

Veſtrum beatus neſcio vter magis
Præcone tanto, túne vir inclyte,
An ille cui promenda tantus
Suppeditat benefacta Princeps.

Vterque felix, aſt ego frigidus
Cui ſáguis obſtat corde ſub intimo,
Nec pace nec bello ſat aptus
Quid faciam pede tardus vno?

Vos fama pennis præpes aget virûm
Per ora nunquam deficientibus
A Gange Thulen ad remotam,
Gratia ſi qua bonis ſuperſtes.

Obſcura ſed nos turba ſilentio
Voluemur alto, ſtemma nepotibus
Nullum relicturi decúsue,
Quando graui premimur veterno.

ODE DIC. DISTR.

Quòd bis ſex animantium
Obliquo facies vident ambitu
Iam

Iam Latonia ſepties
Ex quo glande genu decubo plumbea
Ictus crimine temporum.
Quòd merſi ſtigio pene caput lacu
Tum quòd me Siculi fabri
Greſsu ridiculo prouidus æmulum
Chirurgus fore dixerit,
Vulgus ter miſerum me putat à ſtatu
Præſenti omnia metiens.
Atqui nil miſerum ſentio me pati,
Fortunæ quia nil dare
Iampridem didici à Fregoſio meo
Gnaro Stoica dogmata.
Illi dum patriam fortiter aſserit
Quæ Parmam tenuit manus
Perfoſsa eſt dubio vulnere qua frequens
Neruíſque óſque ſubeſt cuti.
Nutauit medicûm iudicio ſalus.
Nemo illum tamen audiit
In molles gemitus ora reſoluere
Vidit nemo vel inuidus
Geſtare eximium pectora Principem
Infra ſæuitiam mali?
Virtus vna beat quanlibet aſperis

Depren-

Deprenſum inſidiis virûm.
Fortunæ volucris quam dominam facit
Rerum, pars hominum bona,
Imponens rotulæ falſò habitam deam:
Eſt id dedecus, id malum,
Immortali animum ſemine, caſuum
Iactari arbitrio, neque
Frenos corporeis obdere ſenſibus.

Ad SALMONIVM Macrinum.

An potes mixtis etiam querelis
Exulem amiſſa patria boniſque.,
Fratre & orbatum modò, prouocare
Carmen ad aptum?
Carmen exclamans tibi pignus atque
Debitum nexu fidei ſequeſtræ,
Qui mihi Muſas faciles & alta
Ocia iactas?
Inſcius quales animi tumultus
Suſtinet quiſquis ſimul experitur
Quidquid auerſo superûm fauore
Sors mala fingit.
At fu-

At ſugam Alcæi memores & arma,
Arbiter plectri lyrici poëta
Ille, nec tantis caput impetitus
Caſibus inquam?
Quid quòd & mentem mihi ſi ſerenam
Des, tamen dulces nequeam Camœnas
Commodè ad luſus adhibere cœptos
Flore iuuentæ.
Inſtat hinc munus ſobolem docendi,
Indolis raræ, patre tam beato,
Inde diuerſo referenda ductu
Bella perurgent.

AD AXIOLVM.

Inter fideles Axiole optime
Hos iungit olim copula ſanguinis
Cognati, at illos vis ſeuera
Conciliat dominantis aſtri,
Natura multos nexu adamantino
Vincire præſens, cum ſimilis duos
Impellit affectus per omne
Votum animi pariter meantes.
Me nuda

Me nuda morum ſimplicitas tibi,
Atque affluentes munditiæ vndique,
Virtuſque cornu copioſo
Inſinuans tibi ſe ſub altos
Mentis receſſus: raráque veritas
Sic illigarunt, vt minus implicent
Vlmos laborantes vetuſtis
Sæpe comis hederæ ſequaces.
His adde cauſis quòd rapimur pari
Ardore, vterq; ad Pindaricos modos,
Vtrumque nam Phœbi nouémque
Percutit unus amor ſororum.
Sed dum canori nitimur ad iuga
Præcelſa montis, quæ Deus incolit.
Longè relictus cur anhelo
Paſſibus heu trepidans iniquis?
Præcedis aucto nanque gradu celer,
Et me ſequentem vix procul aſpicis,
Victurus inter clariores
Donec erunt numeri, poëtas.

Ad Claudium & Franciſcum
Florimundi Roberteti filios.

Quales vos cupio videre, ſomnus
Per blandam mihi reddidit quietem
Docto carmine priſca prouocantes
Vatum nomina, méque per canorum
Ducentes nemus, inclytóſque colles,
A Muſis loca culta Gratiiſque,
Illic ſeſe honor efferebat omnis
Et virûm peritura fama nunquam,
Illic quæ bona neſciunt prophani
Mirando ordine Phœbus explicabat
Vobis fratribus, hæc modo excolatis,
Nec leuum mihi ſe fore innuebat.
Inter quæ ſubito excitor ſtuporis
Plenus mentem animúmque, mox futura hæc
Sperans omnia, cum vigil repente
Martis præcinuit diem ſatelles,
Et lucem Veneris reduxit aſtrum.
O fauſta auſpicia atque perbeata.

Benedicti

Benedicti Theocreni Epiſcopi Graſſensis Epigrammata, quorum plæraque iuuenis luſit.

De Hercule Gonſaga

Herculis audito Gonſagæ nomine Iuno
Arſit ob antiqui relliquias odii,
Iánque nouos illi nectebat dura labores,
Monſtráque cæleſti vix ſuperanda manu,
Vt vidit faciem mirata, quid odimus, inquit,
Quem vel amēt poſitis mox mea mōſtra minis?

De eodem.

Herculis ad nutum Gonſagæ protinus adſunt
Pierides, magnus tanto in honore puer.
Lætantur quòd pellis abeſt, quòd claua trinodis,
Quòd nullo penitus tincta cruore manus,
Dextra ſed

330

Dextra ſed armatur libris, latus enſe quieto,
Sed probitas, miti ſed pudor ore ſedet:
Gratum & quòd terras frater regit vnde poëtas
Vergilius Graios prouocat & Latios.
Quòd ſi templa ſtrui patiatur hic ſibi, cernas
Alcidæ à Muſis templa relicta queri.

De gratis è græco.
Platanus arida, uite uirenti implicita
Iacobi Colini.

Arida ſerpenti platanus tegor undique uite,
Atque peregrinis germino denſa comis.
Nutrieram propriis ramis prius ipſa racemos
Non minus hac læto frondis honore uirens.
Iunge tibi ſociam, quæ uel poſt fata merenti
Nouerit alternas reddere ſola uices.

Idem Benedicti Theocreni

Aruerim quanuis, amplexu uitis adumbror,
Germino non propriis ſic rediuiua comis.
Nutrieram denſis ramis prior irrepentem
Dum foliis diues non minus ipſa fui.
Quiſque alat hinc talé ſocium ſibi, qui nec amico
Defuncto officii deſinat eſse memor.

Lacto

Lacto lupũ vberibus propriis inuita, quid heu nõ
Paſtoris leuitas cogit iniqua pati?
Creuerit ille ſimul, rurſum ferus irruet in me,
Gratia naturam vertere nulla poteſt.

E græco. Mars in molle donarium
Iacobi Colini.

Non ſunt belligeri ſpolia hæc radiantia Martis,
Quis poſuit templis dona odioſa meis?
Integer eſt conus, nullo autem ſparſa cruore
Lucida ſcuta rubent, fracta nec haſta quidem,
Ora uerecundo ſuffundor tota rubore,
Irrigat & ſudor pectora fronte cadens.
Porticus ornetur, ſeu talibus atria nugis
Auláque fœmineis conſcia delitiis.
Omnia funerei ſunt Martis in æde cruenta,
Quem ſpolia humano ſanguine tincta iuuant.

Idem Vidonis Baldi.
Tália quis noſtris affixit poſtibus arma,
Ingratúmque mihi compoſuit ſpolium?

Sunt coni infracti, fulgent non ſparſa cruore
Scuta, ſudéſque manent ictibus haud laceræ:
Aſpera fronte cadens humectat pectora ſudor,
Et mea non ſolitus inficit ora pudor.
Hæc quis in aula, aut quo ſpōſa eſt deducta marito
Aut in veſtibulo conſpicienda locet.
Aede ſed in noſtra nil ſit niſi ſanguine tinctum,
Nanque fero Marti dona cruenta placent.

Idem Benedicti Theocreni

Non mea ſunt ſpolia hæc, fixit quis talia Martis
Arma tholo? ingrata eſt gratia habēda mihi,
Infractæ galeæ, & nullo conſperſa cruore
Scuta nitent, haſtæ ſunt ſine clade graues.
Anne uides quanto facies mihi tincta rubore,
Pectus & ut ſaliens ſudor ab ore riget?
Porticus his, aulæ, & turbæ loca grata togatæ,
Aut thalami ornentur quos Hymenæe paras.
Belligeri exuuiæ ponantur in æde cruentæ
Gradiui, ſolum quæ mihi dona placent.

E græco. De fortitudine Spartanorum ad
Thermopylas in Perſem, Theocreni.

Qui ratibus

Qui ratibus terram, pedibus qui tranſiit æquor,
Vadendi aggreſsus iura, viáſque nouas.
Hunc tercenteno confiſa eſt milite Sparta
Siſtere, quin tellus undáque victa, rubes.

E græco, Iacobi Colini.
Obrutus innumera Latialis arundine miles
Martis, & ad Rheni ſemiperemptus aquas,
Vt raptam ſocijs aquilam conſpexit, ab hoſte
Proſilit è medijs ecce cadaueribus.
Et raptore ſuis cæſo ſeruauit ademptam,
Solus ab inuicta morte ferens titulum.
I nunc Othriaden patrium decus obijce Sparta,
Et ſi quid bello Græcia maius habet.

Idem Vidonis Baldi.
Semianimis miles transfixus vndiq; telis
Italus ad Rheni magna fluenta iacens,
Vicit & Othriaden Spartæ decus, & Cynegirum
Naumachon, & veterum fortia facta virûm.
Nam cũ aquila ordinibus charis, raperetur ab hoſte
En iterum è medijs cædibus erigitur,
Abſtulit hoſti animam, ſignúmque recepit amicis
Immotæ ſolus mortis honore cadens.
Idem

Othriaden Spartæ rarum decus & Cynogirum
Naumachon atque alios Marte vbicūq; bonos
Anteit Auſonius miles qui vulnere multo
Dum iacet ad Rheni iām moribundus aquas,
Charæ vbi raptā aquilā proſpexit ab hoſte cohortis
Colligit extremæ relliquias animæ.
Irruit, obtruncat raptorem, ſigna reportat,
Inuictæ titulos mortis & vnus habet.

Leonora Feltria pacis arbitra.

Sanctius in terris Leonora eſt Feltria numen
Quàm Venus, ætherea quæ ſtatione micat.
Seruare hæc natum propria ſine clade nequiuit,
Tam procul à miſera Mars vbi amator eras?
At Leonora duos medio in certamine in ipſis
Vulneribus ſtabili iunxit amicitia.
Implacatus eos quanquam commiſerat error
Tantum maieſtas, vel noua forma poteſt.

Minerua & Venus
FRANCISCI Regis, Theocrenus.

Huc ſimul

Huc ſimul ad Regem Franciſcum Pallada ſenſit
Cōmigraſse Venus, quid dubito (inquit) adhuc,
Illáne magnanimo Regi ſe ſola probarit?
Demeriti Herois ceperit vna decus?
Aſt ego numen iners abiecta in ſede manebo?
Eſt eadem, eſt nobis iam ſuperanda via.
Ergo exôſa moram nullo velamine ſumpto
Vtque erat, extemplò nuda capeſsit iter.
Contigit vt Regis limen, certare Sorores
Incipiunt, Regem pluribus vtra colat.
Hinc tibi ſupra hominē Franciſce hinc oiá, quādo
Tam faciles vni dant tibi cuncta deæ.

Idem, De eodem argumento.

Aemula cognouit ſimul huc tranſiſse Mineruam
Ad Regem accurrit huc ſine veſte Venus.
Ipſa in veſte uidens nudam Tritonia Cyprin
Cœpit de forma ſollicita eſse ſua.
Sed dum nuda cupit dempto velamine cerni,
Fruſtrà conata eſt, ænea ueſtis erat.

Idem, De eodem argumento.

Vera Venus Veneri occurrens de marmore factæ
Iuſsiſti è Latio quam modo Laure vehi,
Hæc Venus eſt, inquit, nil iā mihi reſtat, habebā
Quicquid ego, abripuit doctus in hanc opifex.

D Hanc

Idem, De eodem argumento.

Hanc dominā credūt Nymphæ Charitéſque decoræ
Hanc gracili matrem voce ſalutat Amor.
Illa ignota petit latebras, ne ſola vagetur,
Et dubia eſt quæ ſit, credat an ipſa ſibi.

Idem, De eodem argumento.

Deſeruere tibi proprias duo numina ſedes
FRANCISCE ô certum ſidus & aura bonis.
Munychias arces Pallas, Venus aurea Romam
Duxerunt præ te ſordida templa ſibi:
In tua migrarunt igitur palatia certæ
Quicquid habent larga iam tibi ferre manu:
Gallia non Romæ per te non cedet Athenis,
Vna capit, quando quo valuere duæ.

Idem.

Pro Venere hanc fuerat Mars ipſe huc vſq; ſecutus
Ille ſed ut primum regia tecta ſubit,
Incidit in Regem, cui nil de Marte deeſſe
Dum ſtupet ad ſubitam mentis inops faciem:
Me miſerum dixit, cum ſit Venus vnica nobis,
Eſſe duo Martes qui potuere ſimul?

Fallor &

Fallor, & eſt unus Mars ille, abeóne morórne?
Si moror, abiectum ſibila ſola manent,
Præſtat abire, legam tacitus veſtigia, per quæ
Præcipitem iuuit me mea damna ſequi.
Quid mirum, ſi in tam nitida Mars falſus amica,
Præſentem qui ſe credidit eſſe alium?

Idem.

Non eſt quod timeas nudæ certare ſorori,
Molle licet corpus ueſtis ahena tegat,
Cuius in arbitrio poſita eſt ſententia iudex,
Quam Veneri debet non minus ille tibi.

Idem.

Nuda uenit Cypris, ueſtem Tritonia pone,
Reſcinde iniuſti, dum licet, acta Phrygis.

Semele Eiuſdem FRANCISCI Regis.

Aethereo quæris cur non flagrárit ab igni
Credula ab æthereo quæ tamen igne perit,
Igni haurire animam dulcis permiſit amicæ
Vrendi arbitrium Iuppiter eripuit.
Scilicet infanti parcens matríſque decori
Nanque ut ſeruari non queat, ipſa facit.

D ii Quod nato

Quod nato & miſeræ maius præſtaret amicæ
Iuppiter in tali tempore non habuit.

Idem, De eadem Semele

Quis ſpirare Iouem neget hoc in marmore viuũ?
Marmore in hoc Semelen quis neget exanimẽ?
Nil non conſequitur veterum ſollertia, quando
Vna animã artificis dítque adimítque manus.

Idem, de eadem Semele.

Occidit Semelen, natum femori illigat altè,
Damnat eam, damnat ſe quoque triſtis amans.
Amborum leue peccatum, ni morte luatur
Alterius, ſi quid peccat vterque ſimul.
Cuncta ſed hæc ſpectãs peregrino in marmore, dices
Res tantas marmor non ſimulat ſed agit.

Idem, De eadem Semele.

Quæ placuere magis tibi dat ſua ſigna vetuſtas
FRANCISCE antiquo ſis quia iudicio.
Grãde operũ pretiũ ſtatuens, quæcũq; probaſses,
Cætera in occulta condere pergit humo.

Idem, De eadem Semele.

Suaſit

Suaſit Amor peterẽ quod mox me perderet ipſã
In miſero nullum crimen amante fuit.
Perdidit heu nolens, neque ſas nõ perdere, de me
Sed dolor illius plus mihi morte dolet.
Supràquàm licitum eſt, nihil exoptate puellæ,
Nam leuitas pœnæ eſt obuia ſæpe graui.

Idem, De eadem Semele.

Regia ſtirps Semele tua quòd ſint funera Regi
Cognita, quid referat, iam rediuiua ſcies.

Idem, De eadem Semele.

Roma ſuã Venerẽ dederat tibi, Pallada Athenæ,
Cum Semele Thebis non tulit eſse diu.
Transuolat huc ad te iá mortua, iámque cadauer,
Qui negat hoc, oculos ſe quoq; habere neget.
Quantũ credibile eſt hominũ tibi corda moueri,
Mortua cui ſeſe ſaxa probare ſtudent.

DE VENERE ET BACCHO,
in eadem tabella à RVFFO pictis.

Cur Venerem Baccho mage quàm Minoida Ruffus
Appingat, non eſt cauſa petenda procul.
Inuiſam ſibi dum Venus huic alienet amicam
Propoſito ducit cuncta minora ſuo.
Odit enim meritò Phœbi genus omne, procaci
Cuius ab indicio vincla pudenda tulit.
Sed & Amor matri, quo cœptis proſit adhærens
Dum premit aduerſus terga tremenda feræ,
Ridet vt immanem puero ſuccumbere tigrim
Ignaros, quantus ſit Deus admoneat.
Aſt te Faune ſalax tabula quid fallat eadem
Ah nimis in promptu eſt, corpora viua putas.

Ad Ariadnen, de Venere ſe Baccho
Iungente in tabula Ruffi pictoris.

Creſsa puella caue, ſibi vendicat altera Bacchũ,
Sola iterum linquêre feris præda obuia cunctis,
Nónne vides nudam nudo tua damna Lyæo
Iungere ſe furtim conantem cœca Dionen?
Nec ſatis eſt matrem tauri quòd amore nefando
Vſſerit, in te omnes niſi verterit improba vires.
Ah tibi ne nimius mentem dolor auferat iſte,
Vlciſci dabitur, conſtes modo pectore, vtrunque
Pro Baccho

Pro Baccho tibi demereas Minoïa Martem
Illa duos vno configet vulnere cura.
Si tamen has Ruffum pictorem ludere fraudes
Stulta putes, licet accedas, licet vndique ſpectes,
Inuenies maiora fide, grauibúſque dolebis.

De Rege, ſagitta feriente cornicem.

Cum ſumma exanimem deiecit ab arbore magni
Cornicem Regis miſsa ſagitta manu,
Non ut tam certo laudem ſibi quæreret ictu,
Rex ideo in miſeram ſpicula ſumpſit auem:
Sed potius certum ſe delatoribus hoſtem
Illius oſtendit ſcilicet exitio.

De Rege, ad Cornicem.

Inuida quid garris, commentáque crimina defers,
Prædico, hinc inſtat mors tibi certa, caue.
Non te penna leuis, non ſumma tuebitur arbor,
In te, non audis? præpes arundo volat.
Ecce cadis, mortem mortis leuat author, at inde
Eſt quæcunque procax, territa lingua tacet.
Epitaphium

Epitaphium LVDOVICAE, FRANCISCI
Regis Matris.

Quæ iacet hic, veteres heroidas anteit hoſpes,
Tu modò de multis proxima facta lege.
Hæc nato regnum ſeruauit, mox ſibi natum,
Et regno regem reddidit incolumem.
Quid, quòd iam nullis ſperatam emittere pacem
E medio belli turbine viſa fuit?
Qui tituli implebunt tantarum pondera rerum?
Quíſue honor æternum talia geſta manet?
Credita ni fuerit patriæ matérque decúſque,
Laudatam credas inferius meritis.

De eadem Ludouica.

Strauit vbi fluctus bellorum, & chara recepit
Pignora, iam terris omnia tuta videns,
Debita cui fuerat, cælum Ludouica petiuit,
Serius vt meritis, voto hominum citius.

De Rege FRANCISCO & eius matre.

Certauere diu Rex Francus & inclyta mater
Vtrius pietas gloria prima foret.
Tam dulcem amborum litē mors morte diremit
Vnius, vt doceat cuncta licere ſibi.

Nil tamen

Nil tamen effectum eſt, pietas vtriúſque manebit,
In pretio nomen dum pietatis erit.

COMETES.

Heu nunquam certa viſus ſine clade cometes
Nuntius infelix funeris huius erat.

Cometes ab Ludouica ſpectatus

Infeſtum ſibi cum ſciret Ludouica cometen.
Séque peti illius crinibus horrificis,
Spectauit tamen intrepidè, vultúque profeſsa eſt
Monſtrari ad cælum iam ſibi morte viam.

Ludouica Sidus pacis.

Paciferum in ſidus Ludouicam credite verſam
Morbo abſumpta licet ſit modo viſa mori.
Accepit ſociam Erigone, quæ ſcilicet illi
Plus media iuſſa eſt cedere parte loci.
Non inuita, etenim ſocia cum pace laceſſet,
Sedibus æthereïs quicquid vbique micat.
Nec verò Andromede cælo tam digna locari,
Aurea reginæ nec coma Niliacæ,
Aut quam Creta ſolet mendax iactare coronam,
Aut quibus Oceano tingere membra nefas.

E Cernite

Cernite quàm læto irradiet iam lumine tractum,
Quàm placido auguſtum proferat igne caput.
Inde tibi aſpirat lucem FRANCISCE benignam,
Quo deſiderium mitiget ipſa ſui.
Exige triſtitiam & maternum ſidus adora,
Id tibi terrarum frena regenda dabit.
Tu modo iuſtitiam & pacem duo lumina in vno
id ere complexus, quod facis, uſque foue.

De Rege FRANCISCO, & Laura
Franciſci Petrarchæ amica.

Quòd viuens ſúmum & fato iam functa poëtam
Præconem merita es laudis habere tuæ:
Non ſatis eſt viſum, niſi ſummi carmine Regis
Heroum æquares mortua Laura decus.

De eadem.

Paſſa diu loculos queîs condita Laura iaceres
Neſciri, hoc demum tempore quod retegas.
Non inſtaurari tumulum modo crederis inde
Velle tibi, ſed plus ambitioſa petis.
Et tumulum carmen te dignum ab Rege poëta,
Quod cupis immenſo fœnore læta feres.

De eadem

De eadem.

Dum Nemeſis tumulo inducta caligine Lauræ
Pergeret hunc demens abdere, Phœbus ait,
Inſidias etiam moliris iniqua ſepulchro
In famã nullum cum tibi ius fuerit.
Fruſtra abdis veniet tempus cum ſponte patebit,
Séque ſub aſpectum lætius oſſa dabunt.
Oſſa meæ Daphnes digniſſima Mauſoleo
Maximus hæc heros lecta recondet humi.
Verſibus ipſe locum peregrino & marmore ſignãs
Quo duplici Laurus creſcat honore mea.

De Rege FRANCISCO, & eadem Laura,
Ad Petrarcham, Salmonius Macrinus.

Quantum alios vates anteis facunde Petrarcha
Carmina qui thuſcis compoſuere modis,
Fama tantum alias anteit tua Laura puellas,
Queîs lepido vatum contigit ore cani.
Nec ſe illi Latiæ nec Graîæ Heroides æquent
Victuri claro nominis elogio.
Ambiguum tamen eſt magis hæc Regíne tibíne
Debeat, & maior fiat vtrius ope.

Regi inquam Franciſco, ingens cui Gallia paret,
A Pyreneis montibus ad Morinos.
Nam cum eius cineres neglecta nuper in vrna,
E populo vt quiuis, & ſine honore forent:
Rex miſerans, tumulum fieri de marmore iuſſit,
Marmoreo carmen addidit & tumulo.
Nimirum hæc ſi iudicio quis ponderet acri,
Anteferat donis regia dona tuis.
Nam viuā celebras, quòd opellæ præmia ſperes,
Præmia nulla petens Rex colit exanimam.
Quid quòd ab eiuſdē laus tāto auguſtior ore eſt,
Priuata quanto regia ſors potior?

De citharœdo Genuenſi, Theocrenus.
Audebam medio tigres mulcere furore
Cantando, & rapidæ ſiſtere flumen aquæ.
Cedebant veteres citharœdi, inuidit Apollo,
Mortalémque ſibi non tulit eſſe parem.
Heu morior, Genua & Verona in funere lugent,
Hæc natale ſolum præbuit, hæc tumulum.

De eodem.
Si mihi dum pereo languore oppreſſus aquoſo
Permiſſum manibus ſumere plectra foret,
Improba

Improba mors noſtra didiciſſet ab arte moueri,
Quæ me dum careo pectine corripuit.
Nil tamen efficies mors improba, viuimus æuo
Extento, tua vix iura cadauer habent.
Interea ad tumulum fracto mœſtiſſimus arcu
Hinc Amor, hinc tacita luget Apollo lyra.

De Myrtilla dormiente.

Excubat hic, dum tu dormis Myrtilla, Cupido
Inque tua nobis bella quiete parat.

De Labieno, Votum ob libertatem.

Cuſtodes hominum Dii libertatis, adeſte,
Marſya, ſeu Semeles vincla peroſe puer.
Hac vos ritè memor Labienus compede donat:
Veſtræ eſt ſeruitium quòd graue fugit opis.

Ad Libertatem.

Quòd me inopé & trita non ſolum veſte, ſed ipſo
Corpore, Libertas vis tamen eſſe tuum.
Accipe ab aſſerto Labieno præmia verſus,
Inuidit durum cætera ſeruitium.

De Gul. Budæi filia:

Sparge roſas hoſpes, virgo hic Budæa ſepulta eſt.
Et deſiderium & maxima cura patris.
Budæi patris æternum cui Roma & Athenæ
Iampridem certant conciliare decus.
Hoc vno facta eſt mors ipſa inuiſior ictu
Nam miſerum in nata perdidit illa patrem.

De eadem.

Certatim huc violas, huc lilia ferte puellæ,
Et lachrymas poſcit hæc ſibi dona locus.
Quando fouet gremio Budææ virginis oſſa,
Quæ decus antè patri ſummáque cura fuit.
Nunc dolor eſt ſummus, pró mortis dextera ſolers!
Hæc petis unde magis vulnera facta dolent.

Ad Ianum Robertetum.

Summi in clauſtra Iouis dum me perduxeris unus,
Ianum an Mercurium te rear eſſe magis?
An uel vtrunque licet te dicere? quando duorum
Conſequeris ſolus munia tanta Deûm.
Tu quoq; ut ille fores aperis, ſed ſponte, Tonãtis,
Vnde tibi nomen præſcia Parca dedit.

Sed nec

Sed nec ob id ſolum iuueni experientia rerum
Tanta tibi, vt ſimili ſis ratione biceps:
Rarò alios vnquam quàm certo numine iuſſos
Mercurius magni ducit ad ora patris.
Tu quoſcúnque libet tanto dignaris honore,
Cum tibi præſcribas quem decet ipſe modum:
Vnus obis quaſcunqúe vices deſumit uterque,
Cedat vt in proprio munere vterque tamen.

De Rogerio Barma Præſide.

Nil iam flere potes, huius quicunque ſepulchri
Lumina ab aſpectu ſicca referre potes.
Hic non Barma vnus, verum vnà conditur omnis
Hoc ne parum ad lachrymas? gloria lúxq; fori:
Vnà etiam, ne ſola fleas incommoda legum,
Conticet Aonidum pene ſepultus honos.
Adde fidē & quicquid demiſſum cælitus olim eſt,
O celebrem vnius funeris inuidiam?

De Eodem, Germanus Brixius.

His, moriente ſuo Barma, quo præſide vitam
Sumpſerat amiſſam, Curia queſta fuit.
Fata vetant me poſſe vices tibi reddere Barma,
Sed non illa vetant tecum agere hic animam.

Dixerat

Dixerat, & mediis moriens morientis in vlnis,
Vſque ſecuta ſuum Præſidem ad Elyſium eſt.
Hinc pro iuſtitiæ officiis ſtudiiſque colendæ
Perpetuum paſſa eſt Gallia iuſtitium.

De Anulo Iani Robertetti, Theocrenus.

Ergo mihi vates, donum prædulce puellæ,
Anule venturi tu potes eſſe mali?
Nanque inſcripta tibi certo patientia iuſſu
Numinis, oſtendit mox fore vti paterer.
En patior, vos ô bene docti dicite amantes,
Norit amor, ſicut omnia vincit amor.
Credibile eſt vnum ſic noſſe, vt vincere cuncta,
Si mea ſors illi tam bene nota fuit.

De eodem Anulo, Antonius Papilio.

Iuerat æterni ſacrum ad te pignus amoris
Exemptus teneris anulus è digitis.
Qui cũ in amore monet fuerit quodcũq; ferẽdum
Augur venturi noluit eſſe mali.
Quando ego felicem Venerẽ ieciſſe volebam,
Non mea, ſed fati eſt fraus ceciſiſſe canes.
Nos miſeros, ſi nec ſuperi felicia amantum
Triſtibus auguriis dona carere ſinunt.

De eodem

De eodem, Guliel. Budæus.

Anulus exierat lætum tranſmiſſus in omen,
Sponſor & ambiti ſeſtus amoris erat.
Mox tulit hoc caſus conſulta euertere ſolers
Nuntius vt morſus anulus ille foret.
Inciſa excipiat ſcitè patientia caſum,
Gemmeus ex auro ſplendor vt eniteat.
Emendet iactum tolerantia Iane ſiniſtrum,
In Venerem vertet forſan & ipſe canis.

De Epigramte Germanici Cæſaris, per FRANCISCVM Regem uerſo in gallicum ſermonem.

Ben. Theocrenus.

Thrax puer, oppreſſit glacies qué perfida, mortem
Dum queritur Parcas præcipitaſſe ſuam.
Reſponſum eſt, mors iſta tibi reparabitur olim
Vita alia, cui det mors ſuperata manus.
Dicta fides ſanxit graio mox carmine Cæſar
Fallaci raptum te miſeratur aqua.
Poſt aliquot ſimili ſtudio Rex ſecula natus
FRANCISCVS patriis flet tua fata modis.
Felix cui reges penſarunt tempora vitæ,
AEternum fuit hoc viuere, non morier.

F De eodem

De eodem Thrace puero?

Non vt ais peperit Cæſar Germanice truncum
Mater aquis, igni non puerile caput.
Pignoris amiſſi glacialis fraudibus Hebri
Vt neutrum liceat ſcilicet ipſe facis:
Nam neque edax ignis, nec aquæ uiolentia carmẽ
Læſerit, extincto quod tua Muſa dedit.
Quid quod idẽ fulcit Francus Rex carmine carmẽ,
Dum vocum numero contrahit orſa pari?
Talia cui Regum penſent epigrammata vitam
Hunc quis aqua aut igni poſſe perire putet?

De nuptiis FRANCISCI Regis,
& Leonoræ Reginæ.

Ipſe maritales tedas lectúmque Hymenæus
Dum ſtruit, & nodos nectit amore pares,
Hoc qui iungantur thalamo quærentibus, inquit,
Orbi pax hodie nubit, vt arma fuget.

De eiſdem nuptiis.

Crede nefas hominum genialia fulcra putare
Quæ tam ſollicitis ſternit amor manibus.
Huc modo de cælo pax ſe demiſit, ut orbem
Hoc ſibi coniungat demereátque thoro.

Benedicti

Benedicti Theocre
NI GRASSENSIS EPISCOPI, Aliquot Elegiæ.

De Venere & Baccho.

Forte Venus blandos quærebat nuda receſſus,
Dum cupit optata ſola quiete frui.
Ne ſemper cudi aut tractarier arma videret
Hæc ab amatoris, coniugis illa manu:
Implicitus teneræ matri uix filius vnus
Exoſæ comites ſe comitem addiderat.
Haud multum progreſſa viæ cum Phœbus habenas
Mitior Heſperium torquet ad Oceanum:
Incidit in Bacchum, ſtudio qui captus eodem
Apta quieturo iam loca nactus erat.
Sed neque eum iuſſu domini ſua turba ſecuta,
Sileno errabat non bene certa duce.
Cum tamen ipſe iugum dempſiſset tigribus, vnam
Duceret vt ſecum non renuiſſe ferunt.
Obſtupuit Bacchi occurſu conterrita primum
Cypris, & inſumptum iam relegebat iter.

Euhius ut maneat tendit ſuadere, quid, inquit,
Numen ab aſpecto numine ſtulta times?
Non hic inſidias incautæ ut moliar adſum,
Aut uim nolenti fortior admoueam.
Sed cur præſentis fortunæ dona moremur!
Cur pereat, quod mox ſit reparare nefas!
Ne fuge crudelis néue auerſare precantem
Cuius honor toto Mænadas orbe ciet.
An tibi vir nigra ſemper fuligine turpis
Gratius Aethnæis accubet in ſpecubus
Quàm Iouis & Semeles nitidus puer? an tibi ſordēt
Quæ ſubigunt etiam munera noſtra feras?
Si Martē obiicias, pulcher minus, haud mage fortis
Ille, legas nobis parta trophæa licet.
Inuenies illic bello ſim quantus, & armis,
India mi dederit quàm cito victa manus.
Aſpice & hæc noſtram non deformantia frontē
Cornua, præcipui roboris indicium.
Quòd tibi ſi Martem iuuenilis Adonide forma
Mutandi, vt fama eſt, maxima cauſa fuit.
Eſt mihi quæ morſum faſtidit labilis æui
Et quæ perpetuo flore iuuenta nitet.
Ille feri ante diem ſæuo ni dente periſſet
Deformi ſenio præda futurus erat.

Non eſt

Non eſt quod timeas à teſtibus, hic puer, illa
Bellua, hic occultat quæ facit, illa tacet:
His labefacta Deæ facilis mens, cætera dexter
Rexit Amor luſus qua ſolet arte ſuos.
Hæc ſed furta ſibi dum ſolis cognita credunt
Vtque volunt ſemper poſſe latere putant:
Ecce loci cuſtos incertum vbi tempus ad illud
Abditus ignotis emicat è latebris
Et quo viſa ſibi mox ederet improbus vſquam
Præcipiti ſeſe proripit inde fuga.
Reſpectat tamen aufugiens, riſuque procaci
Quæ modo vidiſſet numen vtrunque monet.
Irrubuit Citheræa minus, non immemor olim
Coniugis inſidiis qualia paſſa ſui.
Cum toti ſpectata fuit turpiſſima cælo,
Inter amatoris brachia fuſa Dei.
Ille iter accelerat, tanta eſt dementia, viſi
Conſcia facturus ſaxa vel ipſa probri.
Inuida ſubdebat ſtimulos Rhamnuſia fandi
Cernuntur grauibus cui bona cuncta oculis,

De puero Timæi ægrotante, Ad Phœbum.

PHOEBE tibi dudum ſupplex aduoluor ad aras,
Sollicitáſque fero cum precibus lachrymas.

23

343

Vt mihi dilecti natum tuearis amici
    Sidere nunc annus quem premit implacido.
Huc ades, huc artis medicæ mortalibus author
    Præſentémque ægro ſedulus offer opem:
Huc accurre Pater, ſeu te Parnaſsia laurus
    Seu potius lentum Delia oliua tenet.
Seu te Grynæi nemoris forte occulit vmbra,
    Vel nimium memorem Pindus & Oſſa iuuant.
Linque celer quaſcũnq; vrbes, quæcũnq; frequentas
    Rura, nihil noſtro ſit prius auxilio.
Nam vis ſi qua uſquam taciturno in gramine viuit,
    Aut vſquam penitus ſi qua medela latet,
Non aliter tibi quàm naturæ nota parenti
    Creditur, ô ſubitis numen & aura malis.
Ne patere hæc longo tabeſcere tecta pauore
    Tam bene apollineis cognita tecta ſacris.
Nam tibi non ima puer eſt de plebe iuuandus
    Ignaráue tui nominis ante domo:
Sed miſero pater eſt Timæus, quo tibi nemo
    Largius aſsiduè thure adolere ſolet.
Ille ſacerdotum Timæus cura tuorum,
    Ille pius turbæ cultor apollineæ.
Ille hoſpes toties, Muſarum & mitis alumnus
    Ille tua, ah neſcis, ille leuandus ope eſt.
Quando minus

Quando minus nihilo quàm pignus dulce laborat,
Inque vno ægrotant corpore Phœbe duo.
Quid memorē matris humentia lumina ſemper?
Et toties miſeræ frigida membra metu?
Nosquoque cum patriæ direptæ damna fleamus
Et quaſſæ ex omni tot mala parte domus:
Non ideo minus horremus diſcrimen amici
Pro quo etiam nobis mors adeunda foret.
Immò illas acuit timor hic ſine fine querelas,
Luctibus & creſcunt hinc alimenta meis.
Caſibus innumeris Ciſſeïas obruta poſt tot
Funera tot prolis continuata ſuæ:
Vidiſſet quanquam conſidere Pergama in ignes,
Raptari & caſtas per ſua tecta nurus.
Se captam illudi per dira exempla, ſeniſque
Coniugis hoſtili colla reſecta manu.
Non minus idcirco Polydorum oblita timebat,
Ne qua illum aduerſi perderet ira Dei.
Hic auxiſſe metus non vlla ex parte leuaſſe
Mœrorem illius dicitur & lachrymas.
Sic mihi diffundunt luctus Timæe prioris
Materiam nati ſæua pericla tui.
Qui tibi de multis amiſſis eſt ſuper vnus
Buſta ortus fratrum poſt miſeranda trium:

Quem

Quem Lucina orbo facilis conceſsit, vt eſſet
    Augendæ qui mox ſufficeret ſoboli.
Iam prope ad interitum ſiquidem Timæa propago
    Fertur, in immenſum eſt ut Libitina uorax.
Hic niſi promoueat pereuntis ſemina ſtirpis,
    Et reparet clara poſteritate genus.
Tale igitur nobis ſerua caput, exige porro
    Inſtantem ſuperis qui potes inuidiam.
Neu ſine nil meriti pueri de morte triumphet
    Parca rapax, in nos ſæuiit illa nimis.
Per te Phœbe unum liceat ſubducere morti
    Soſpite quo laus te non moritura manet.
Mitto, parent alii quantas perſoluere grates,
    Et figenda tuis quot monumenta tholis:
Ipſe ego votiua redimitus tempora lauro,
    Dum memores alii ditia dona ferunt,
Errores matríſque tuæ partúmque ſalubrem
    Gentibus, arguta ſepe docebo lyra.
Tum quibus infeſti Pythonis terga ſagittis
    Fixeris, inſuetæ vulnera prima manus:
Phlegræas acies quali turbaueris arcu,
    Vaniloquam in Diuos vltus es ut Nyoben
Addam etiam uictum quoties congreſſus amori es
    Atque minora tibi tela cupidineis.

Hoc quis

Hoc quis turpe putet, ſũmi cum rector Olympi
Summittat puero fulmen & arma leui?
Addam inuenta, quibus ſemper celebrabere vatũ
Carminibus, poſthæc cætera ſponte fluent.
Quæ tibi ſi tanti non ſunt momenta, paternus
Certe amor, & patris ſtringat imago patrem.
Succurrat propriæ quoties in funere prolis
Texeris obducta flebile nube caput.
Temporis illius monitus, miſerere parentum
Qui te orant, mœſtos ne patiare diu.
Aſpice vt ipſe puer teneras intendere palmas
Pergat, in auxilium te modo Phœbe vocans.
Quod ſi quid rigidus fatorum continet ordo
Triſtius, & venti vota precéſque ferunt:
Non ſupereſſe pater non nos decreuimus illi,
Vertit in illius noſtra ſalute ſalus.

De Decii Auſonii poëtæ Galli laudibus.
Ad urbem Burdegalam Apoſtrophe.

O ſalue Auſonii mater Graïique poëtæ,
Mirum, cum nec ſis Graia nec Auſonia.
Te tamen Auſoniis & Graiis vrbibus æquat
Filius eloquio tantus utroque tuus.

G Hic ne

Hicne ſalutauit primum dum naſcitur', aſtra?
Hicne meus primum vagiit Auſonius?
Auſonius cui mox orienti laurea cinxit
Frons caput, Aonidum quæ fuit ambitio.
Muſarum fuit ambitio nempe illa, coronam
Feſtinis manibus huic properare nouam
Quem Roma ornaret, quem mirarentur Athenæ
Cuius & arderet Cæſar ab ore cani.
Permeſſum & Thybrim viſiſſe fluenta Garumnæ
E tam longinqua quis regione putet?
Viſerunt tamen, & ſeſe miſcere parabant
Vno curſuris flumine ſemper aqus.
Ni vetet hic, cuius ſtudio permotus vterque
Mutare antiquum conſtituere ſolum.
Felix terra viri partu cui mœnia debes
Aeterno ingenii mœnia ſtructa opere.
Non tu quòd populis ſtatuas confinia magnis
Celticáque inſigni limite rura ſeces:
Non ignota tibi quod ſint commercia gentis
Nullius, egregii commoditate ſitus:
Maius habere puta decus, ac genuiſſe Poëtam
Laudari ſine te qui nequit, Auſonium.
At tibi qui famam clauſiſti finibus iiſdem
Queîs Graium & Latium clauditur eloquium:
Haud

Haud male ſucceſſit tua quòd te Muſa probauit
Cæſaribus, fateor ſors fuit æqua tibi.
Nec minus æqua illis, rapidi quos morſibus æui
Ereptos domita viuere morte facis.
Nil conferre hominem mortales credite maius
Quàm quòd non metuat temporis inuidiam.
Sed ſi te potius nobis hæc ſecla tuliſſent,
Aetatíſque huius gloria tanta foret:
Non erat externus Princeps adeundus, honores
Ad ſummos cuius prouehereris ope.
Ipſa ſuo indulgens affectu patria, honores
Non ſineret laudem Cæſaris eſſe tuos.
Oblatum ſed enim proprio te ſedula Regi
Tenderet ingenii conciliare bonis:
Regi cuius opes nullis aut ſceptra ſecunda,
Sed nec opes illum tantáue ſceptra magis
Cõmendant, quàm quòd fortuna & corpore tali
Cæleſtis ducit dona priora animi.
Hunc licet innumero Nemeſis concuſſerit ictu,
Deturbare loco callida non potuit.
Inter danma minor nunquam ſe ſcilicet ipſo
Præſidiis ingens conſtitit vſque ſuis.
Hic ſimul audiſſet moueas quo plectra canore,
Inſpiret ſeſe quantus Apollo tibi:

Mox te felicem, cui tanti numinis aures
Mulcendas oci tempora grata darent.
Quinetiam curas grauiores inter & arma
Non faſtiditus conſpicerere comes.
Nuſquam tam faciles aditus támque obuia doctis
Gratia, non Muſis notior vlla domus,
Limina quàm Regis FRANCISCI, conſule doctos
Quos hodie magnus Sol vbicúnque videt.
Conſule Budæum, cui primas protinus vni
Non deferre nefas, liuor inique tace.
Ille frequens tanti Herois verſatur in ore,
Vt prima hæc merito laus ſit habenda hominis;
Præmia virtutis nuſquam maiora putaui
Olim principibus quàm placuiſſe viris.
Diuitias magnis huic illi apponere pronum eſt
Regibus, at laudum conditio eſt alia,
Longe aliud pondus: nequeunt conuellier vllo
Fortunæ impulſu, ſurgat vt illa grauis.
Sed neque in abſentem non eſt procliuis Eraſmũ
Extinctóque dedit Naugerio lachrymas.
Te uero immenſum miratur Laſcaris, at te
Magno emat Italiam linquere poſſe tuam.
Vida decus vatum qui tam felicibus auſis
Vergilium vero proximus, aſſimulas.

Quid te

Quid te non memorem Coline ô candide dudum
Nominis ô præſens buccina lúxque mei?
Imprimis tua vox Regem grauitate ſonora
Seu tua ſcripta legas, ſiue aliena, iuuat.
Langæos cur mitto duos vnúmque Bayphum
Pignora inexhauſtæ qui bene laudis habent?
FRANCISCI eximio quod Regis amore probētur
Hoc ſatis eſt, ſacri vis ea iudicii.
Quòd ſi vos etiam Brixi & Macrine liceret
Noſcere, quos adeo non videt Aula frequens:
Vos quoque doctrinæ precium non uile maneret,
Nec foret extremo gloria ueſtra loco.

In Nauigium, quo FRANCISCI Regis
duo filii prope ſubmerſi ſunt.

Nauigium infelix funeſta ex arbore ſectum,
Quod ſibi ſacrarunt cum Nemeſi Eumenides
Obductum ſtygia nuper pice, carbaſa cuius
Lurida texuerant triſti aconita coma.
Talibus inſidiis Franci duo pignora Regis
Inſtructum patriis forte vehebat aquis:
Vt patrias fœdaret aquas in manibus auſis
Natorum & gemino funere pollueret.

Remorum impulſu & zephyris ſpirantibus actum
Dum fertur pictis ocyus alitibus:
Dum ſonat omne nemus fauſtis clamoribus, & dum
Plaudentum ſtudiis vtraque ripa fremit:
Deprimit ecce illud ſubito feralis Alecto
Ipſa manu arreptum ſub uada cœca trahens.
Mergitur, enandi uix nautis ulla facultas,
Tam breue momentum, tam grauis ira fuit.
Iamque onus auguſtum feſſi ſpes & decus orbis
Ferrea Plutonis limina contigerant:
Cum ſua miratæ nigreſcere vellera Parcæ
Quod ſcelus inſtaret commonuere Iouem.
Pignora mox imo ſuperis chariſſima fundo
Præſenti exiſtunt numinis auxilio.
Omni intacta malo quanquam uincente periclo
Eſſent quàm uitæ iam propriora neci.
Mirum, quòd facies plus multo habuere decoris
Et ſolita maius neſcio quid ſpecie.
Vt quibus afflaſſent Charites ſua dona repente
Iuſſæ tartareæ damna abolere canis.
Iam non Hippolytum mihi iactet Aricia, diro'
Conſcia quæſiti more miniſterii.
Aeſacus & Cæyx rumor quibus addidit alas
Piſcibus exanimes præda fuere uagis.
Velantur

Velantur ſed ut his mendacia callida monſtris
  Sic tua perfelix gaudia uera probat
Euentus Franciſce, ſalus quem reddita natis
  Ex impendenti tam prope pernicie.
Eſſe Deo curæ oſtendit cum prole, nec vllis
  Quæ te quæ prolem fata deinde manent.
Poſſe dolis vinci, tu tantum accingere claris
  Incœptis, ſemper qualia mente trahis.

Iacobi Colini, ad Federicum
Fregoſium. Muſa loquitur.

Ne mirare pigram, potius Federice miſertus
  Perfero ſi ad diuas oſcula tarda manus.
Tempeſtiua quidem fuerant mandata clientis
  Maxima ſed lentæ iuſtáque cauſa moræ:
Eius me (fateor) pietas diſtrinxit, amórque
  Cuius culta ſatis ſunt pietate diu.
Solus, inops, grauiter peregrino ægrotus in orbe
  Vitæ incuſabat tempora longa ſuæ.
Et tua ni pedibus ſuccenſæ dextera fortis
  Calcatum præſenti eripuiſſet ope,
Forſitan erraret tactus Cyllenide virga
  Inter Cyaneos flebilis vmbra greges.

An tot in

An totin aduerſis non dura ingratáue dicar
Auſa laborantem deſeruiſſe virum?
Denique communi nimium concuſſa ruina
Conſternati animi vix bene compos eram.
Et noram admittat quid veſtra aut reſpuat auris,
Ad ſtomachos iſtos quis faciátue cibus.
Adde quòd vt cernis venio pede debilis vno
Læſa ſalebroſæ aſperitate viæ.
Ergo dum ſenſus viréſque recolligit ille
Amiſſas, aliquot præteriere dies
Quæ ſi forte grauis cenſetur noxia, parce
More tuo faſſis ô Federice reis.
Conſcia quos mentis non lædit culpa malignæ,
Vnica ſed fati ſors miſeranda ſui.
Quámque æger mittit prona ceruice ſalutem
Colinus, placida ſuſcipe fronte precor.
Quáſque ab ſe meritis grates ingentibus auctus
Nunc agit & (dum illi vita ſuperſtes) aget:
Deuoti ex animi penetrali ſede profectas
Crede, ſed hunc animũ conſule, quæſo, boni.
Sic fraterna Ligur ſic & tua iuſſa capeſſat
Semper, uota probet ſic vtriuſque, Deus.

De Diui

De Diui Fructuoſi æde in ſinu Liguſtico ſita.

Prominet æquoreas longe porrectus in vndis
Mons præcelſus vbi ſurgenti ſole caleſcit
Ora Ligus, Genuam breuis hinc traiectus, ut horæ
De curſu ingentes domitæ mirere ruinas
Arcis, & humano ſtructum molimine portum,
Si modo Dijs dextris uentóque vtare ſecundó.
Huius in extremis radicibus aſpera rupes
Scinditur, & curuans operoſo brachia flexu
Proiicit, atque ſinum ſecreto pene receſſu
Efficit: hic nullis turbatur flatibus æquor
Nam ſi quando atras uenti exciuêre procellas
Cum totum inſanis ſæuit mare fluctibus, & iam
Vota facit trepidus dubia ſpe nauta ſalutis,
Actutum fremit ad fauces excluſus iniquas
Neptunus, tentátque loci turbare quietem.
Intima habet cautes Fructoſi nobilis ædem,
Quam nauta ex pelago proſpectam, lætus adorat,
Atque pia diuum Fructoſum uoce ſalutans
Depoſcit facilem curſum, & compendia larga.
Aſt imo templi ſub fornice fonte perenni
Dulcis aquæ riuus fluitantes lambit arenas,

H Lene ſonat

Lene ſonat fundúmque aperit pellucidus aureum
Vt triſtes abigat curas ſomnúmque laceſſat.
Illum Nereidas cana cum matre frequentant,
Sol vbi maiores terris induxerit æſtus.
Sed videas quandoque illuc deſcendere Faunos
Syluestres, quorum aduentu dilabitur omnis
Nympharum chorus, in medias & deſilit vndas,
Vſque adeo genus oderunt deforme procáxque
Tyrrhenumcelebrant nymphæ quæ luſibus æquor.
Illi de ſummo nequicquam littore proni
Pana ſuum & ſuperi teſtantur numina cæli,
Si maneant: ſi non formident vim fore nullam.
Poſſe ſubire ardent ſtimulante cupidine fluctus.
Sed graue pondus eos villoſi terret amictus.
Hæc hodie Octaui loca fortunata fruuntur
Cominus aſpectu plaudúntque effuſius illi
Quàm ſi cuncta maris ſpatioſi numina adeſſent.
Quanquam cuncta maris ſpatioſi numina ſummo.
Cum primum è portu celerem ſoluiſſe triremem
Quæ talem feſtina virum comitéſque uehebat
Perſenſere, uadis uitrei ſimul excita ponti,
Fructoſi ſedes dicuntur aduſque ſecuta.
Tātus honos, tanctū Octaui vel in æquore nomen.
Nil mirum, ſi geſta viri repetantur ab annis
Continuo

Continuo primis, memorent quæ ſæpe nepotes.
At Vos ô Nymphæ Nerei ſenis aurea proles
Ne dubitate hodie ſacros inuiſere fontes.
Lætius & choreas numeroſo ducere cantu.
Inſidiæ hic uobis nullæ, uis nulla paratur
Longe aberunt Fauni uenerando a fonte bicornes.
Longe igitur timor abſit, abeſt quia cauſa timoris.
Caſta quidem Octaui cum pectore lumina multũ
Romulei ut cedat grauitas collata Catonis.

Querela in Ligerim inchoata,
non peracta.

At tibi cæruleos memini pius aduena crines
Cingere ſæpe nouis de fronde & flore coronis,
Thúſque inferre manu larga fluuialibus aris,
Quas tibi ſub molli ſtatuiſsem pumice ripæ.
Quid quod aquas ingrate liger teſtudine ſumpta
Exorſus laudare tuas, conuitia preſsi
Plurima, quæ iaciunt in te quicunque procaci
Proxima rura gemunt tibi deuaſtarier unda.
Illius ânne etiam cepit te obliuio duri
Temporis? ob patriam cum te liquere ſalute m
FRANCISCVS, fratérque orbis uel maxima cura,

Hic modo decurſa gemina trieteride, at ille
Ternā inter geminámque pari diſcrimine currens
Prò dolor aëriam curſu aſcendère Pyrenen,
Nil in ſe veriti patris tranſferre catenas.
Captiui patris, euentus cui defuit æquus
Martia tractanti dignis conatibus arma,
Quanquam certa ſatis nondum veſtigia paſſum
Figere, tanta annis pietas puerilibus hæſit.
Tunc ego de patriis abeuntes finibus illos
Eque tuo auulſos gremio comitatus, in ipſo
Diſceſſu lachrymáſque tuas, gemitúſque paraui
Haud minus ipſe dolens apto ſermone leuare.
Quid memorē, quæ dona tibi, quos lætus honores
Impoſui? reduces vbi vidit Gallia primum,
Pro queîs dilaniata comas tot vota Tonanti
Fecerat, vt tandem redeuntes fortibus vlnis
Exciperet, ſartura moræ diſpendia tantæ.
Quis fuit ille dies, niueo quem vellere iuſſus
Produci, quo captiuos Memorancius heros
Franciſcum Henricúmque animo ſolerte recepit?
Vix bene tum proſpecta tui mihi fluminis vnda
Eſt procul, expoſita cum te veneratus acerra
Sum tibi ſum reditum gratatus diuite dextra.
Pro quibus officiis olim dicère periclis

Corrupiſſe

Corrupiſſe mihi ſeruata volumina tantis.
At Germanus eis uictórque pepercit Iberus
Cum Genuam quæ me genuit manus utraque raro
Direptam exemplo ſpoliaſſet, cuius & ipſi
Pars nonnulla mali fuimus patria arma ſecuti.
Hócne fuit dulcis prætendere nomen amici?
Hícne mihi faueat, qui peius conſulit hoſte?
Hôcne fuit cumulum meritorũ agnoſcere? quis te
Quis furor inſidias moliri immiſit amico?
Sæpius an quòd nos te Sequana docta relicto
Accipit, inſontes petiiſti ruſtice libros
Ipſe manu abripiens in gurgitis ima uoracis?
Ne qua mihi incolumi ſupereſſet pagina charta.
Me miſerum, quo damna ſequar quo carmine tanta
Naufragium lugubre quibus ſingultibus æquem?

Finis Lyricorum Epigrammatum
Et Elegiarum Benedicti Theocreni,
Graſſenſis Epiſcopi.

EXCVDEBANT IO. ET EN-
GVILB. MARNEFII FRA-
TRES ANN. M. D:
XXXVI, MEN-
SE MAR.

*